





19

18.

DISSE^RTAT^O IN AVGVRALIS MEDICA;

DE

F E R R O
CHYMICE ET MEDICE
CONSIDERATO,

QVAM,

PRÆSIDE DIVINO
NVMINE,

CONSENSV

GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA ET PERANTIQVA
HIERANA,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
ATQVE IMMVNITATIBVS
RITE ET SOLEMNITER ADIPISCENDIS,
PVBLCÆ PHILATRORVM DISQVISITIONI

SVBMITTIT

JOSEPHVS DEHN,
ERFORDIENSIS.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS,
HORIS CONSVENTIS,
DIE XII. MAJI, A. S. R. MDCCXLII.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad, Typogr.





PRO O E M I V M.



Ui Usui? posset quidam quærere,
tantus inservit imcomprehensibili-
lis & ferè innumerabilis creatu-
rarum acervus, qui dextro Dei
digito omnipotenti ex sui nihilo
erectus & formatus atque creatus est; Hic ve-
ro se convictum fateatur à S. S. Literis GE-
NES. c. 1. v. 31. *Viditque Deus cuncta que fece-
rat, & erant valde bona.* Ita sermocinando
ille vel alias insurgere valeret, cur tam copio-
sus numerus metallorum imperfectorum à sa-
pientia divina sit productus, cum eminentiora
& perfectiora videlicet sol & luna sufficere po-
tuissent, & ita genus humanum quoque non
opus habuisset *Ferro utpote metallo imperfe-*
to;

cto; ast Deus nil frustra fecit, una enim crea-
tura alteram adjuvat, imo haud raro erigit, at-
que perfectiorem reddit, ita *Ferro* Terram Ru-
sticus secat vomere, vinitor bidente & sarculo,
hortulanus cultro putatorio utitur, messor me-
tit fruges falce Messoria, fœniseca, ut fœnum
exinde faciat; Homo utero vix exclusus ad re-
sectionem umbilici forfice indiget; Puellæ &
fœminæ nentes acubus carere non possunt;
Tonsor omnibus viris radit barbam novacula,
& Vespillo universum genus humanum ligo-
ne & bipalio humat. Medicus speciatim con-
sideratus tanquam Anatomicus variis utitur
Instrumentis, inter alia sunt: cultri, scalpelli,
forfex, volvella, forceps, hamuli, styli, acus,
serra, scalprum, elevatorium, tubuli, siphon, te-
rebra, fila ferrea; Chirurgo ad manus esse
debent præter jam recensita, scalpellum, phle-
botomus, trepanum, cauteria, speculum oris,
ani, uteri, Thorax, circulus ad hernias, cathe-
ter aliaque ad sectionem calculi & Embriul-
ciam necessaria; Pharmaceutico-Chymicus
iterum multa numerat instrumenta, ex multis
pauca sunt: Catinus, infundibulum, conus fu-
sorius,

OS (5) SC

sorius, forceps diversa forma externa & usū pro carbonibus &c. Et, si per aliquot dies huic indagationi incumberem, citius nomina propria & verba deficerent, quam Instrumen-ta ex ferro parata, sufficit ferri usum tam ingen-tem esse, ut nullus rationalium inveniatur, qui eo non indigeret, cum econtra multi nascan-tur iterumque moriantur, qui per totam vi-tam nullum commodum à prætiosissimo me-tallo auro habuerunt. Ferreus itaque esset, qui Deo non gratias ageret, quod tam neces-sarium metallum in tanta copia hominibus de-derit ad laboriosam vitam facilitandam. Mis-sis tamen ejusmodi ambagibus me ad consi-derationem *Ferri chymico-medicam conver-to* faxit Divinum numen ut fiat feliciter.

Q. D. B. V.

§. I.

Rerum Essentia cognita, primam offert occasio-nem imponendi nomen, felicissimus in eo erat Adamus, qui omni scientia physica instructus, quodlibet genuino atque cum Essentia rei coincidente nomine appellabat, sapientiā autem illā per lapsum protoplastorum amissā, proprietates non à priori sci-mus, sed à posteriori & ex effectibus demum discimus,

A 3

hinc

hinc nomina non exprimunt semper quod debent, exempli loco jam nobis erit metallum, quod *ferrum* nominatum aut à ferendo, quod in agros colendi gratia feratur, aut *ISIDORI* sententiâ, quod farra, id est semina frugum terræ condat, aut *PEROTTO* auctore à feriendo, quod cætera eo feriantur adeoque domentur; aut juxta *VOSSIVM & MARTINIVM* in lexico quod *ferrum* sit & indomabile; fera ferri corpora vocat *LV-CRETIVS*, aut quod forandi usum habeat.

§. II.

Alio latino vocabulo ferrum *Mars* audit, quod Astronomis planetam Jove minorem Saturno coloratiorem, zodiacum spatio bienni fere percurrentem denotat. *CICER. de Natur. Deor. 2, 20.* Poeticis figurantis Deaster belli creditus est Ethnicis, nomen habet ab eo, quod maribus in bello præest, *VARRO de L. L. 4, 10.* chymicis est vulgare metallum, quod Marti cœlesti sacram, in ejus templo dicati scyphi è ferro parati erant. Græcè *rudnegs*, Germanice vocatur *Eisen*.

§. III.

Extrahitur in multis Europæ fodinis ex terræ mineralis & venis rupium in lapide vel Marcasita, non multum à magnete distante, sed magnes gravior ac fragilior ferro; ditissimi sunt lapides hæmatitæ & magnes, ignobiliores autem ætites & rubrica fabrilis. Ex Suecia, Norwegia, Styria, Misnia, Thuringia & Hassia species minerarum vel venarum ferri afferuntur. magis autem miratu digna observatio. *D. D. TRVMPHI extat in commercio Litter. Norinb. Ao. 1741. p. 355.* Martis ex profunditate terræ 50 pedum effossi, qui tubo, diametri

metri unius pedis, tormentum bellicum referebat, & forsitan cum osteocolla eundem generationis modum agnoscit. Lapidès malleis contunduntur in fragmenta, hæc post fornacibus ardentibus injecta dissolvuntur liquanturque; ferrum in infimam fornacem stillans in massam coit, quæ incudi imposita scalpellis ferreis in frusta discinditur & malleis ab aquarum impetu rotatis in latitudinem ducitur & in laminas formatur. Arte quoque ex communi limo facile fieri ferrum ho-dierna experimenta demonstrant; nec ratio abludit consentiente Illustri STALIO in *chymia p. m.* 138. & ex cupro verum fieri ferrum, testis est experientia vulgarior, quod cognitionem duorum horum metallorum prodit conf. VNZERI *Anat. spagir. lib. I. cap. XVII. p. 565.* non solum verò terram sed etiam aërem ferrum producere ALBERTVS MAGNVS ex AVICENNA testatur: decidisse celo, imbre Massam ferri centum librarum. PETERMANNVS ETERLIN in *cronico helvetico* prodit: Magna tempestate è celo molem ferri decidisse quæ in longitudine sedecim, in latitudine quindecim in crassitate duos pedes habuerit. Ex hujusmodi narrationibus GASTO CLAVEVS. in *Apologia contra ERASTVM* argumentatur: Si nubibus ex duplice illa inhalatione frigore densata ferrum gigni & in terram decidere verum est, quando magis subtus terram ex eadem exhalatione frigore densata metallum gigni veri simile est.

§. IV.

Est autem ferrum metallum imperfectum, durum, fusum, fusile, ductile & extensibile, quod terram arenosam, ful-

Sulphur commune ardens & per se quasi vitriolaceam substantiam ex ipso faciens recepit.

§. V.

Imperfectum nominamus metallum non ratione Essentiæ & generationis suæ ubi ad finem desideratum in suo genere est perfectissimum, sed respectu habitu ad aurum & Argentum, metalla perfectiona in mistione, & destructioni non tam facile obnoxia.

§. VI.

Durities ejus eminens tam ex tractatione quam ex usu æconomico patescit. Minera ejus non nisi vehementissimo Ignis gradu in fluorem redigitur, & instrumentis ex ferro paratis omnia corpora tractantur, omnes artifices illis utuntur, nulla gens in toto terrarum orbe eo carere potest; ex physicis autem notum est, scindens comminuens & id genus aliud instrumentum semper majori duritiei gradu præditum esse debere illo, quod scindi comminuque debet. Ferrum ignitum in aqua frigidissima, cui sal commune & nitrum injecta, extinctum durescit; mollescit autem quando sæpe candefactum sponte refrigerari permititur, aut quando candens in oleum vel sebum immergebitur. Plures modos scire cupidus inveniet in BECCHEI Chymischen Glücks-Hafen p. m. 778.

§. VII.

Duritiei majorem gradum habet chalybs, qui à ferro accidentaliter tantum differt puritatis nempè gradu, nomine mutuato aut à chalibe Martis filio, aut à chalybone celebri emporio Assyriæ, ubi olim effodebatur, aut à chalybe, fluvio Hyspaniæ, JVST. 44.3. in quo fer-

ferrum optima acie temperabatur; aut à populo in Ponto juxta Thermodoontem fluvium *Chalybes* STRABONI PLINIO 6. 29. AMMIAN. 22, 8. VAL. FLACC 4, 611. vocato, qui ferro cæteris præstare dicuntur VIRG. GEORG. 1. 58. & 10. ÆN. v. 174. Modos ferrum purificandi sive chalybem parandi varios legimus atque observamus artificibus usuales. Ferrum si tortura Ignis liquefcit, sponte iterum concrescit, & hoc aliquoties reiteratur semper impuritas subsidet, & à terra quadam purgatur ita multi recrementi deperditio tandem chalybs purus evadit. Sunt qui limaturam ferri & carbonum faginorum stratum supra stratum in olla magna vitreata faciunt, & calcinando impuritates absumentes optimum chalybem elaborant. Cum ligno fagino & baculis ferreis, suum vocat experimentum BECHERVS Ph. S. p. 604. dum verò alii idem præstant alterna straticatione cum cornubus & ungulis boum aliorumque animalium suscepta: HOFFMANNVS in *Laboratorio chemico* p. 214. judicat: duritiem ferro conciliari, quia particulae alkalicæ in ferro ab Igne reclusi poros fese insinuando cum acido ejusdem firmiter coagulentur. Idem asserit LEMERY in *cursu chymico* p. m. 163. Cornua animalium cum contineant multum sal volatile quod est alkali, necant acida ferri, quæ ejus poros apertos tenebant, idque magis compactum efficiunt, addit ignem multum auferre de partibus maximè volatilibus & solubilibus ferri.

§. VIII.

Veritatem fusionis demonstrant fornaces, mortaria, variaque crassiora instrumenta tali methodo parata,

B

de

de duicitate autem nemo amplius dubitabit, qui fila instrumentis quibusdam musicis destinata, ubi pinnæ & claves chordas tensas tangendo, sonum reddunt, induit; ad hunc finem & apud artifices commendatur puritas & ferro præfertur chalybs suppelæctili respectu, quia à partibus terreis magis rarefactis ac volatilibus redditur paucioribus poris pervia, magisque apta ad ferendas aëris injurias hinc ob poros compactiores minus, quam ferrum rubiginem contrahit; respectu autem habito ad usum, quem in corpore humano præstat, & remedia, quæ ex inde parantur, ferrum præstantius est chalybe præsertim per se in substantia usurpatum. Omne remedium morborum in ventriculo debet solvi, quo compactius autem aliquid, eo difficilius solvitur; minime itaque digestus chalybs utilitatem in primis viis relietur, sed per alvum excernetur si nè fructu, aut si parum particularum grossiorum vas a chylifera permeat, obstrukiones parit potius, quam referat, doloresque satis urgentes producit. Ferrum autem magis porosum est; pori ejus plus patent; minor spirituum corrodentium quantitas ad hujus, quam ad chalybis solutionem requiritur; gravitate sua specifica leviori, proprius accedit ad gravitatem specificam tunicæ villosæ & menstrui ventriculi, chalybe, proinde facilius cohæret, & cum chymo unitur, ferrum sale suas vires exerit, & ferri sal facilius in ventriculo solvitur chalybis sale, per consequens ferrum effectu salutifero ad medicos usus longe præferendum venit chalybe.

§. 9.

§. IX.

Ferrum continere terram §. 4. dictum fuit; quod ille minimè inficias ibit, qui considerat materiam primam, & primum solidum passivum principium, ex quo metalla & mineralia constant, esse terram, & ex chymicorum scriptis notum est terræ nomen designare solidum, fixum, densum, crassum, rigidum, immobile principium, sive quod particulis subtilioribus ablatis, in chymicis remanet laboribus, quam ob causam calces, cineres, scoriæ, capita mortua à chymicis non raro eodem titulo appellantur, quæ in processibus cum marte institutis observantur atque obtinentur; BECHERVS postquam in *Physica subterranea Lib. I. Sec. VI. Capit. VIII.* pag. 535. terram quoad substantiam in impuram & puram, variè tinctam diviserit, pag. 855. demonstrat, quod omnigena terra sit naturæ metallicæ & quod omnia metalla in terram converti possint: illud probat ex eo, quod arena & id genus alia, debita quantitate antimonii liquefacta, metallica evadat & regulum formet; plus autem stringit experimentum p. 584. ubi ex terra, nempè communi limo & oleo lini, verum produxit ferrum; de hoc dicit, quod ille, qui vera methodo Philosophica metalla in terram reducere sciāt, se in chymia excellere gloriari posse, utileque & magnum arcanum possidere; ad hunc scopum collimant experimenta, ubi ex bolo, diu in igne calcinato, tandem fuso ferrum obtinetur, iterumque ex bolo aut rubrica fabrili (*Nödelstein*) cum spiritu salis solutis tintatura martialis extracta, limum communem album sive terram relinquit. MORIENES terram metallorum matrem

matrem vocitat. facile quoque ESDRA lib. IV. cap. VIII.
v. 2. in testimonium trahi posset, si ex sacra scriptura fun-
tamenta physica sumere placeret. Arenosam autem
in specie appellavimus terram, quia talem analysis offert,
tam in crocis, quam in vitro gradatorio, quod ex mi-
nera martis cum minio, vel cerussa & pyrite nigrum,
in tenuibus fragmentis subfuscum colliquatione obti-
netur. Quibus verò placet hanc terram per rubram
stipticam, difficulter fusilem exprimere, non contradic-
cam, quia nullam contradictionem involvit, & cum
modo allegato experimento, rubrica fabrili instituto
conicidit. Idem quoque erit quando alii contentum
pro continente ponentes asserunt, ferrum ex multo sa-
le constare, quod ex menstruo aquoso adhibito pate-
scit.

S. X.

Sulphur, ferri mixtionem ingredi, non solum ex
eo probatur, quod chymici per sulphur intelligent ali-
quam terram pinguem, quæ in sole flava, in luna alba
splendens, in venere rubra, in marte jove & saturno
fusca livida est, uti BECHERVs in Alphabeto minerali The-
si 15. loqui amat, unde & ferrum fundamentum
omnium metallorum, cupri scilicet, auri & Argenti
est, quod ex subsequenti dicti libri THESI. 36. discimus;
sed etiam ex illustris STAHLII asserto in ejus chymia
pag. 10. hinc inde experimentis comprobato, ut & pro-
priis manibus cum marte institutis operationibus con-
vincimur; & natura in multis pyritis speciebus sulphur
cum ferro & vitriolo unitum ostendit.

S. XI.

§. XI.

Vitriolaceam tandem substantiam ferri ostendit vitriolum martis nativum, comprabant variæ methodi vitriolum ex marte parandi, testantur experientia edocet chymici: STAHL fundam. chym. p. 10. Mars non aliud est, nisi impurum vitriolum; sunt verba LEMERY in cursu chymico p. 179.

§. XII.

Jucundissima philosophia, quæ de nostro metallo in medium potest proferre, est, quæ docet, usum ferri medicum redundantem in corpus humanum morbis labefactatum, dum sanitatem pretiosissimum thesaurum vocare, ex gravissimo morbo restitutus tantum dicit, simulque ejusmodi remedia salutifera multis laudibus extollit, quæ ex ferro variis operationibus limatione, nempe solutione, calcinatione, fusione &c. obtinentur.

§. XIII.

Limatura martis à multis practicis in usum vocatur absque ulla alia præparatione ad obstrunctiones viscerales referandas: novimus aliquando, inquit: WEDELIVS Pharm. in art. form. red. p. 114. tali fere desperato hypochondriaco limaturam martis pani butyro illito superstratam & comedam bene cessisse. Melius tamen cautela diætetica observatur, ut æger purgetur, sanguisque ejus diluatur jusculis, antequam ea exhibetur, ne in vasis capillaribus, humoribus crassis infarctis fistulatur & dolores pariat, hinc nonnulli suadent medicamenta salina interponere, quo solutio & acticitas martis eo plus augeatur. Tunc Mars sale suo, quod

adjutum, metalli partibus solidis majori efficacia est prædictum reliquis salibus, obstrukiones aufert, ad instar alkali, acidum absorbendo, quod eas fovebat: Ferrum de natura alkalica participare credere suadet effervescentia cum spiritibus acidis. Notabile de hac re experimentum instituunt physici: conf. HOFFMANNI *Acta Lab. chem. Sect. II. Process. XXIII.* Limaturæ martis in phiala vitrea affundunt partem spiritus acidi & aliquot partes aquæ, dito obdurant orificium, candelæ appropinquant, ita solutæ martis partes volatiles remoto dito, per flammarum candelæ transeuntes, fragorem edunt, quod singulis minutis secundis jucundo repeti potest spectaculo; brevissimum temporis spatium observandum est, ferrum enim in acido potentissime incalescit, ut ni spatium acquirat vas continens, rumpat. Tale quoque exemplum observare licet in pyra ferrea: cui si minus vitrum aqua forti plenum imponatur apertum, pyra postea occludatur, exactè oclusa invertatur, aqua fortis intus contenta effusa in ferrum continentis pyræ tam potenter agit, ut eam maximo fragore rumpat. Non vero ab acido fortiori solum solvitur, sed etiam à mitioribus: ferrum aceto injectum, & intra hujus substantiam corrosione imbibitum, acorem ejus in saccharinam dulcedinem convertit, observatione WEDELII *Chim. pag. 169.* & STAHL.

p. 83.

§. XIV.

Ordo vero etiam nos dicit ad solutionem, quæ variis suscipitur menstruis, genuinum menstruum sunt acida, eaque non fortia, sed mitia fluida & concreta

WE-

WEDELIO *Judice comp. chim.* p. 166. *Vinum martiale* parabis, si vinum generosum album ℥. 8. in lagenam terream ventre sphærico & collo oblongo reponas, limaturæ ferri ℥. 1; in crucibulo candeſactum in ſūtile hoc ad tertiam partem vino repletam projicias, obturato orificio ſpiritus evaporationem prohibes. Hunc laborem tribus vicibus reiterabis, tandem per horas 24 ſubſideat & ad uſus ſervetur. Hujus unciæ duæ vel tres mane affumuntur, præmiſſo convenienti aliquo cathartico. D. PLACEVS mulierem, quæ à matrimonio per novennium ſterilis permanferat, cum hoc vino curavit, ut poſtea formosos natos in lucem ederit. Pariter periculosa cacochymia, corruptione ſtomachi, & defluxione capitis inveterata laborantem, priſtinæ ſanitati uſu vini hujus martialis reſtituit ~~ſal~~: Speciatim itaque acidum in vino malvatico occultum Tincturam martis extrahit, in delicatioribus debili ventriculo, coniuncta cruditate, Mensium ſuppreſſione, vomitu hypochondriaco, ulceribus renum ſimilibusque affectibus locum habet, quod WEDELIUS Iuſtris praxi felici comprobavit.

§. XV.

Chalybeatum infuſum FALLOPII Libro de foffilibus cap. 9. hic Autor proponit. R. Limaturæ martis ℥. j. pulveris caryophill. aromat. ʒj. vini malvatici ℥. iv. vel vj. ferventur in loco calido, ſaepius agitando, ſenſim extrahetur Limatura. Aegro motum maximè obſervandum & calefactionem corporis imperat, ut per totum corpus diſtribuere & vires eō melius exſerere queat.

§. XVI.

§. XVI.

Aqua simplex chalybeata evadit, si ferrum candens bis vel ter in eà extinguitur, huic à DIOSCORIDE vires attribuuntur in alvi profluviis biliosis, quas AEGI-NETA confirmat; majores autem vires obtinere creditur, si composita paratur, additione radicum, foliorum, seminum, florum aperientium, incidentium, attenuantium. Nec renuit lac à ferro candente partes quasdam efficaces assumere, tale enim haustum, alvum tantisper movet, excrementaque, quod à vitriolo juncto dependet, nigredine tingit, hinc in dysenteria acres partes educit, quibus eductis leniter adstringit, in obstruktionibus hepatis, lienis, & Mesenterii, humores crassos incidit, vasa obstructa aperit, saburramque per alvum leniter evacuat.

§. XVII.

Aciduli vegetabilium succi omnes appropriatum ad Tincturas martiales suppeditant solvens, tali ratione paratur à MINSICHTO armam. *Medico chym. Sect. I. p. 20. Magisterium martis aperitivum.* R. Succi oxalidis expressi & depurati 15. iij. Pulp. tamarind. à filamentis & nucleis separatae 3vij. agitata in vase terreo, ligneo pistillo, digerantur per aliquot dies, colentur per lanneum pannum traje&tus liquor separetur, à subsidente crassamento. Clarificato succo in cucurbita vitrea adde limatura chalybis 3v. leni digestione alembico coeco super imposito, cum spatula lignea interdum agitando extrahatur Tinctura; exhalatione ad quartam partem instituta, saturatior Tinctura obtenta servetur ad usum in Epatis, lienis & venarum meseraicarum oppilationibus

nibus inveteratis, in Melancholia, i^{ter}ero, quartana, Hydrope, cachexia, obstructionibus uteri, Gonorrhœa. *Tinctura martis pomata* & *Tinctura martis cydoniata*: R. Limaturæ martis finæ Q. V. (3j.) affunde succi pomorum Borsdorffianorum, vel si majorem virtutem roborantem lenemque Aromaticam desideras, succum ex rasis atque contritis cydoniis expressum, atque post subsidentiam decantatione atque filtratione depuratum, tanta quantitate ut ad aliquot digitos emineat (3vij.) agitetur subinde spatulæ lignea, lenique digestione nigricans Tinctura extrahatur, quæ aut sibi relicta in usum vocari; aut evaporata parte aquosa spiritu cochleariæ affuso spirituosa reddi; aut cum spiritu falis ammoniaci aliisque misceri potest. De optimo Tincturam martis cydoniatam parandi & conservandi modo conferatur Ill. J. A. WEDELII programma dissertationi *de vertigine annexum*, Jenæ 1741. Tincturam martis helleboratam inventor ejus WEDELIUS ita facit: R. Limat. Mart. Tart. crud. aa. 3iv. rad. hellebor. nigr. (flore viridi) 3ij. concisa contusa & affusa aqua fontana, stent in digestione ad Extractionem Tincturæ nigricantis, ad arcendam corruptionem addatur spiritus cochleariæ.

§. XVIII.

Tartari acidum, clavem quoque præbet accommodatum ad recludendum martis centrum. *Talem Tincturam martis aperitivam Tartarisatam ROLFINCIUS parare docet.* diff. chym. VI. cap. XX. ex limat. Martis & Tartari aa. 15^o. cum aquæ fontanæ canth. viij. x. in lebere coctis, agitatis, post subsidentiam decantatis & ad

C me-

medietatem evaporatis. Huic Tincturæ virtutem adscribit aperientem. JVNCKEN in chymia experimentali, *Tincturam martis aperitivam ex Limaturæ martis* & sem. Tartari albi & iij dicta methodo facit & subjungit: hoc est illud Arcan. Willisi tantopere celatum in tractatu de fermentatione. Et LVDOVICI præparat: &c. Vitrioli Martis (cremor. aut) crystall. tartari aa. ʒβ. hæc cum aquæ ʒβ coquantur ad mellis consistentiam, super affundatur spiritus vini ʒβ. digerantur per horas 24. Tinctura per filtrum separetur & post lenem exhalationem ad usum servetur. Ob prædominium, quod partes vitriolaceo-salinæ in hac Tinctura obtinent, HOFFMANNVS in *Actis. Lab. Chem.* pag. 278. commendat, ad coagula humorum viscida ut & ad vasa obstructa aperienda; & non pauci practicorum eâ utuntur in quibusvis morbis chronicis felicissimo cum effectu. WEDELIVS recipit loco spiritus vini spiritum cochleariae, ut usu anthypochondriaco, hysterico, Polychresto inserviat, uti ex ejus chymia pag. 158. discimus.

§. XX.

Tincturam vitrioli martis aperitivam in via sicca ZWELFFERVS *Mantiss. Spagy. ic. Part. I. c. 3.* communicat. &c. vitriol. Martis & (arcanisive) terræ foliatae Tartari siccæ aa. ʒβ terantur in mortario vitro ut exactè misceantur, post aëri exponantur per aliquot dies, sic efflorescent flosculi crocei, ex quibus spiritus vini affusus terendo extrahit Tincturam, filtrandam & a. gt. X. ad XX. exhibendam in Epatis obstructione, Malo hypochondriaco & cachexia. Quam ROLFINCIVS *cap. XXIII. l.c.* exhibit *Tincturam martis aperientem;* MICHAELIS

LIS

LIS esse se scire dicit. BARNERVS chymia Philos. Tr. III.
cap. 5. R. Vitrioli Martis non calcinati & terræ folia-
tæ Tartari aa. 3j. digerendo cum spiritu vini fit Tinctu-
ra. LEMERY recipit rubiginis ferri 3xij. Tartari albi
3xxxij mixta in lebete terreo cum aquæ fl̄ xv. ut per
xij. horas ebulliant sœpeque spatula agitentur, præci-
pit, liquorem nigrum filtratum & ad syrapi consisten-
tiam evaporatum, *Tincturam Martis cum Tartaro item*
Syrupum Martis nominat, laudatque usum in cachexia &
Hydrope à 3j. ad 30. à solutione hac martis per acidum
tartari factam, impetrandum.

§. XX.

Ferrum WILLISIVS sequentem in modum reddit
potabile, R. limaturæ ferri & tremoris Tartari aa. p.
æ. pulverisata atque probe mixta humectentur cum
aquâ vino vel aceto ut inde formari possint globuli in
furno pistorio coquendi. Si pulverisatio, humectatio
& impastatio in globulos aliquoties repetitur, ferrum
tandem omne in aqua solubile redditur.

§. XXI.

Limatura ferri purissimi cum aceto albo fortè in
infusione per aliquot dies probe occlusa asservata solu-
tionem suppetitat cum triginta partibus aquæ fontanæ
diluendam, ut exinde evadat aqua acidula in affectibus
melancholicis, mesenterii, cachexia, atque ictero profu-
tura. Tincturæ Martis 3ij aquæ fontanæ fl̄ 30 instil-
latas, & mediante transvasatione reiterata bene mixta,
acidulas ferreas suppeditare, odore sapore & viribus
cum aquis Spadanis convenientes, autore scimus
POLISIO in *analedis practicis* qui etiam ex aqua fon-

C 2 tana

tana & spiritu vitrioli martis paratas in febris ardentes
tibus commendat acidulas. FROBENIUS *Physicus Region-*
montanus sequenti in viscerum infarctu utebatur Tin-
ctura. R². Limat. Martis norimbergensis q. v. super-
funde aceti radicati, q. f. leni caloris gradu digerantur
per duas dies & noctes, quod tinctum est excipiatur
vase, & novum acetum iterum affundatur, donec nul-
lus sapor vitriolicus percipiatur, reliquum servetur ad
usum. Hujus Dosis sunt 30. ad 40. gt. mane. ROLFIN-
CIVS proponit cum aceto vini tincturam ex marte ni-
gram extrahendi, mediante tritura in marmore, quae L.
c. legi potest.

§. XXII.

Alias quoque Spiritus acidos ad martis solutionem
recipi videmus, exemplo *Tincturæ Vitrioli Martis Phar.*
Nor. R². Vitrioli Martis q. v. ad rubedinem calcinato
affunde spiritus salis dulcis, ex spiritus vini p. iij. &
spir. salis p. I. per retortam destillando unitis, & extrahe
Tincturam, quam filtra & in MB ad debitam consisten-
tiam abstrahere. Pari ratione JVNCKEN Spiritum nitri
affundit scoriis martis in pulverem redactis, quibus si
per diem & noctem steterint, spiritus vini rectificati af-
fundit, ut inde Tinctura saporis acido dulcis emergat,
egregii usus in bilis exorbitantiis.

§. XXIII.

Acidum in aëre contentum in martem quoque
agere ex sequentibus patet. *Liquor Martis solaris à*
GLAVBERO descriptus obtinetur, si minera martis solaris
(quæ in hassia inferiori & haud procul Francofurto in
terra figulina reperitur) contunditur & aëri libero ex-
ponitur,

ponitur, ut in pulverem nigricantem concidat; vel radiis solaribus exponatur, donec sensim sensimque in flores albicantes luteosque efflorescat, siveque ipsa minera fatiscat. Huius mineræ vitriolo prægnanti aqua pluvialis ad digitorum aliquot eminentiam affunditur, saepius agitatur, & post aliquot dies aqua viridescens decantatur. Hæc aqua aut sub nomine *Tincturæ martis solaris* ad roborandum ventriculum & Intestina ad gt. XX. XXX. sumitur; aut ad cuticulam evaporata in frigore in crystallos virides concrescit; Liquor viridescens qui amplius in crystallos abire renuit, à GLAVBERO vocatur oleum vitrioli dulce, egregiæ virtutis in doloribus capitis, colicis, obstructionibus viscerum, malo hypochondriaco, hysterico, scorbuto, lepra, ulceribus antiquis fistulosis, si liquori terræ foliatæ tartari tantum liquoris mineræ martis solaris affunditur, donec acquirat rubicundissimam tincturam, paratur *Tinctura vitrioli martis aniphthisica extemporanea* ZWELFFERI de reliquo *Tinctura martis solaris Hassiacæ* obtinetur mineræ martis solaris Hassiacæ cum Spiritu nitri dulcis extractæ, vinum malvaticum affundendo.

§. XXIV.

Tincturam martis MINSICHTVS arm. chymico medico
Se^t. 2. p. 43. sequentem proponit. R. Salis ammoniaci pij. limaturæ martis pj. mixta per retortam destilla, martis effentiam in fundo remanentem exime, edulcora, eum spiritu vini superaffuso in cucurbitula extrahe Tincturam, Tinctum effunde, denuò spiritum vini affunde, spiritum tinctum exime, solutos liquores ad dimidium evapora, residuum cum effentia extracta per chartam

filtra, hocque utpote veram martis tincturam ad usum asserva, in obstructionibus hepatis, lienis, Melancholia hypochondriaca, quartana, cachexia, Hydrope, Chlorosi, scorbuto, mensibus superfluis & retentis; ROLFINCIVM (qui hanc veram martis vocat tincturam l. c. cap. XXI.) non pauci artis periti chymiae restauratorem laudant; BARNERVS autem l. c. pag. 353. censoria virgula notat, statuens, in hac destillatione prodire spiritum urinosum cum acido, reliquum acidi in fundo remanens solum martem corrodere, ergo nihil aliud fieri, quam quod sal acidum solvatur, tinctum tantillo sulphuris, quod ex marte fuit solutum. Satius itaque esse, caput illud mortuum sola aqua tantillo spiritus vini solvere.

§. XXV.

Sal ammoniacum quoque tanquam clavem martis adhibet, ETTNERVS ad *Tincturam martis cœruleam* R. chalybis limaturæ $\frac{1}{2}$ j. salis ammoniaci purissimi $\frac{1}{2}$ j. misce in mortario lapideo, hanc mixturam in loco calido vitro obdurate inclusam per 12. septimanas repone, deinde mediante aqua pluviali calida elixivetur, sal, & filtretur per chartam, ut crocus martis (egregii usus) remaneat, aqua autem sale ammoniaco imprægnata in cucurbitam vitream immittatur, porro salis tartari, ex fecibus vini calcinatione parati libris duabus solvatur in calida pluviali aqua, adhæc ambæ solutiones in cucurbita vitrea misceantur, & imposito Alembico destillentur leni Igne Arenæ, ut prodeat spiritus salis ammoniaci urinosus, præterea ex remanentia elixivi & sal. Tandem hujus salis fixi $\frac{1}{2}$ j. affunde spiritus salis ammoniaci

niaci antea prolecti $\ddot{\text{z}}$ ij. sic solvitur sal, & emergit inde
Tinctura coerulea pulcherrima per chartam filtranda
ad obstrunctiones hepatis, lienis pancreatis, Mesenterii
atque Mensium commendatissima, nisi odor & sapor
nauseabundus obstet.

§. XXVI.

Salis ammoniaci actionem in martem quoque de-
monstrat Tinctura ex scoriis Reguli. R. Scorias reguli
martis antimoniati, in quas aliquoties repetita calcina-
tione Regulus fere universus abiit, & salis ammoniaci
partes æquales; sal ammoniacum sublimatione medi-
ante elevetur in flores, caput mortuum quod in fundo
residet extrahatur, superinfusa aqua fontana, lixivium
exhalatur, coagulum modicè non tamen ad siccitatem
calcinatur, quod affusum spiritum vini luteo colore
tingit.

§. XXVII.

Aquilam hanc, sal ammoniacum puto, martem
in sublimè secum ducere, ex martis sublimatione in
flores chymicis notissimum est: R. Limaturæ martis
 $\ddot{\text{z}}$ b. salis ammoniaci $\ddot{\text{z}}$ j. mixta inde cucurbitæ figuli-
næ oblutatae, & observatis Ignis gradibus ascendunt
flores albicantiores, farinacei, spongiosi, mox flave-
scentes, hinc fulvi igneo rubore perfusi. Tandem Vul-
cani ferocia ipsa Mars compedibus quibus terrestri mo-
li alligabatur, solutus, in collum elevatus, nigram sed
formosam nivem spargit. Flores mutato alembico co-
lore diversi, seorsim asservati, albi virtutem diaphoreti-
cam, lutei spleneticam & antiscorbuticam exerunt, ni-
gri aqua nasturtii aquatici vel cochleariae soluti, adstri-
ctoria vi fluxiones quascunque fistunt, quod RHENA-

NVS

NVS in sole è putoe emergente & BEGVINVS proponit.
 Dicti flores ex albo lutei ob saporem nauseosum rarius
 in usum vocantur, & melius cum vitriolo martis ana
 remixti atque spiritu cochleariae extraeti constituunt
Essentiam martis vitriolatam antiscorbuticam aperitivam,
 Lateribus cucurbitae adhaerentes varii coloris flores,
 cum spiritu vini tartariso digesti, præbent Tincturam
 martis auream egregii usus in cruditatibus ventriculi,
 hydrope &c., nigricantes inferiores cum capite mor-
 tuo commixti & aere humido expositi per deliquium
 fluunt, sique sistunt *Tincturam martis adstringentem.* Si
 cum salis ammoniaci parte semis iterum sublimantur,
 in aureos flores, cum spiritu vini phlegmatico, præ-
 bent Tincturam martis croceam, aperitivam, roboran-
 tem, vel in aere soluti, suppeditant liquorem martia-
 lem aperitivâ atque subadstringente virtute præditum,
 qui etiam ex colcothare vitrioli cum sale ammoniaco
 sublimato commodè parari potest, teste WEDELIO in
chymia p. 170.

§. XXVIII.

Activitatem quem acida in martem exercent, pro-
 bant tam croci martis aperientis parandi ratio, quando
 limatura martis cum aqua forti, & tantillo aceti destil-
 lati solvitur, effervescentia sedata puls in crucibulo ad
 rubedinem calcinatur, qui probe edulcoratus reme-
 dium constituit aperiens; quam etiam *crocus martis sac-*
charinus albus, qui obtinetur, si laminæ ferreæ oblinun-
 tur spiritu sulphuris vel vitrioli, & leni calore super vi-
 tro expanduntur, ut sensim *crocus albicans* efflorescat
 colligendus, hic labor multoties venit reiterandus. I-
 dem

dem fieri videmus si in destillatione spiritus vitrioli laminæ ferreæ supra retortam ita ponuntur, ut flamma eas continuo lambat & spiritus acidi exhalantes eas corrodere & in *crocum martis adstringentem* mutare queant, pede leporino auferendum.

S. XXIX.

Non desunt autores qui ignem tanquam acidum agere statuunt, dum virgulæ ferreæ in furnis reverberi vitrariorum transversim locatæ, pari ratione crocum in superficie suppeditant, ac si spiritu acido essent irroratæ; Vitriolum martis in crucibulo calcinatum in *crocum martis aperientem* abeat; & caput mortuum à destillatione spiritus vitrioli martis, residuum verus & legitimus crocus martis sit, quem etiam ZWELFFERVS præfert.

S. XXX.

Croci verò in genere ratione virium dividuntur in aperitivos & adstringentes; Aperitivos invenio primo *simplicem*, qui colligitur à laminis martis, rori majali expositis. Secundo *saccharinum*, paragrapho superiori 29. memoratum. Tertio *Vitriolatum* jam paragrapho 30. recensitum. Quarto *sulphuratum* s. nigrum quando frustum chalybis oblongum fortiter ignitum, Magdaleoni Sulphuris admovetur, ut guttatum ambo liquata in patinam aqua suppositam decident in granula; quæ postea pulverisantur & in catino terreo ad omnis sulphuris deflagrationem calcinantur. Vel limatura ferri & sulphur æqualibus partibus mixta, cum aqua in pastam rediguntur, in catino terreo per aliquot horas reponuntur, deinde supposito igne siccantur, atque calcinantur, ita continua agitatione cum spatula ferrum in *crocum rubrum* redigitur, crocus hic basin

D

con-



constituit pulveris cachectici QUERCETANI HARTMANNI. Quinto nitratum sive *crocum martis cachecticum* ZWELFFERI (MARGRAFFIVS autem eundem ad strictivum praedicat) ubi loco sulphuris nitri triplum in crucibulo liquefiat & limatura ferri successivis vicibus ingeratur, post calcinationem edulcoretur cum aqua calida, decantetur, siccatur & ad usum servetur. Quodsi vero sexto Lixivium salis alcali limaturae martis adspergitur, iterumque exsiccatur, & hoc aliquoties repetitur, obtinetur *crocus martis alcalinus*. Tandem *crocus martis antimoriatus*, aperitivus, febrifugus, atque absorbens emergit, si scoriae reguli martialis cum alcali fusi, edulcoratae, cum duplo nitri mixtae, in crucibulo detonantur & aqua tepida edulcorantur, conf. STAHLII Chymia p. m. 201. & TEICHMEYERI pag. 229.

§. XXXI.

Adstringentes croci conficiuntur a) quando solo igne reverberii limatura martis calcinatur, usque dum colorem ex fusco purpureum induat & spongiosa evadat b) aut caput mortuum spiritus vitrioli martis igne fortiori ad omnimodam levitatem calcinatur c) aut croci aperitivi omnes, quando igne reverberii ad obscure purpureum colorem usque calcinantur. Regula ex hoc fundamento consurgit: crocos, quo lentius evaporantur, & lenius calcinantur, eo magis aperitivos fieri.

§. XXXII.

Vitrioli Martis diversis quoque conficiuntur modis: p. limaturae Martis ss. sem. huic in vitro forti atque capaci guttatum atque successivè affunde spiritus vitrioli ss. & aquæ simplicis triplum vel quadruplum, digere usque ad solutionem, quæ calidè filtrata evaporetur, ad cuticulam, & reponatur in loco frigido, ut exinde consurgant crystalli vitriolicæ.

lici. BRENDELIUS in Chymia p. 34. Limaturæ martis oleum vitrioli, ab omni aquositate separati affundere, nullatenus autem aqua diluere suadet, quia alias incommodum incommodo augeretur. Si joco limaturæ martis in sarcaginem ferream, oleum vitrioli spiritu vini dilutum infunditur, atque in umbra reponitur, spatio aliquot dierum concrescit vitriolum martis. Alia methodo &c. Limaturæ martis p. j sulphuris pulverisat part. ii mixta irrorentur aqua simplici, quatuor horis vix præterlapsis incalcescit, Igni reverberii tradenda, subinde eam agitando spatula ferrea usque dum sulphur ablatum massam nigricantem relinquit, quæ cum alia sulphuris parte mixta calcinetur ad rubedinem; crocus, aqua simplici calida elixivetur, quæ evaporata atque seposita crystallos exhibet Vitrioli. Qui Limaturæ martis solutionem salis ammoniaci adsparget & jam recentata methodo procedit, egregium quoque accipit vitriolum.

§. XXXIII.

Regulum tandem ex arte parare diverso modo solemus, ad mentem chymici Erfurtensis consumatissimi, quem processum in triumpho antimonii describit, paratur ex martis p. j. antimonii hungarii p. ij. & tartari usci p. iv. alii distingunt regulum antimonii martiale in illum, qui cum salibus, & in hunc, qui sine salibus efficitur; sine salibus erit, si clavi ferrei in crucibulo, igne fortissimo carent, duplum antimonii adjectur, crucibulo testo igne fortissimo fluant, ita separat se in regulum & scorias. Cum salibus ex praescripto LE MORT ita conficitur: frustis chalybis durioris ʒiv. in crucibulo candefactis, super injicito antimonii in frusta minora redacti ʒix. adde salis ex nitro & tartaro detonando parati ʒij fluant per horam, effunde materiam in conum fusorum sevo inunctum atque calesfactum, regulum à scoriis separatum iterum funde addendo sextam nitri partem, & habebis regulum martis stellatum. PANTALEON per infusionem martis igniti in antimonium sum regulum parare docet.

§. XXXIV.

Reguli internè raro in usum vocantur, interim quibus placet, fundunt ex illo cum salibus parato pilulas perpetuas in alvi constipationibus laude non destitutas, & ex excrementis ab iis iterum colligendas, quibus salivam movent, reiterato at-

que perpetuo usu frui. funduntur etiam pocula *Emetica* in quibus vinum per aliquot horas infusum, vomitum excitat. Excellentius paulo medicamentum est *antimonium diaphoreticum ex regulo antimonii martialistellato*, quando regulus pulvritas cum triplo nitri fixatione facta, in calcem diaphoreticam mutatur, in impuritatibus humorum, exanthematibus cutis, scabie ferina, & ipsa lepra, singularis planè efficacie. Cum quo fere conicidit *antimonium diaphoreticum martiale caebeticum* ex ana antimonii & limaturæ martis in scorias liquato & cum triplo nitri deconato confectum, quod apud hujus inventorem Cl. LUDOVICI in operibus obser. XXIX. p. m. 677. legi potest STAPHORST. officina chymica londinensi p. x. limaturæ martis 3j. aqua regis solutæ affundit butyri antimonii 3vij. & procedit spiritu nitri uti dictum.

§. XXXV.

Ex compositis est *bezoardicum martiale*, quod fit ex regulo martis cum mercurio sublimato in butyrum redactis, & cum spiritu nitri ad fixitatem perductis, cuius usus in febribus cum diarrhœa conjunctis item in dysenteria Epidemica. *Bezoardicum joviale, venereum, atque solare*, eodem modo parari posse WEDELIVS in compendio chymiae p. m. 119. & 140. docet. De usu mechanico reguli quo stannum colore, duritie, ac fono, Argento simile redditur, dicere meum non est officium. Alchymicum usum TOLLIVS aliique artis filii genuini proponunt, oleum martis & spiritum mercurii universalem sulphure solis & martis acuatum Basilii, excerpta sicut WEIDENFELD de secretis adeptorum processu. 131. 136. 137. & 138.

§. XXXVI.

Supersunt adhuc compositiones aliæ, quæ martem recipiunt, horum autem recensionem supervacaneam judico, quia non ad analysin pertinent ita LEMERY p. m. 187. proponit extractum martis aperiens p. 190. Extractum martis adstringens MOTES CHARRAS Syrupum lientericum DDD. AQVIN. p. 175. & seq. 176. Syrupum balybeatum aperientem catharticum ejusdem auctoris ANGELVS SALA Emplastrum sipticum martiale communicat. I. c. p. 109. quæ cum aliis pluribus sicco transimus pede, quo tractationi Imponatur.

F I N I S.

01 A 6512 (A)



f

TA → DL

nur Stück 10 bisher vereinigt
und Stück 39

R 1017

30

19

18

Q. D. B. V.
O INAVGVRALIS MEDICA,

DE R R O

CE ET MEDICE
NSIDERATO,

QVAM,

[DE DIVINO
VMINE,

CONSENSV

FACVLTATIS MEDICÆ
IA ET PERANTIQVA
HIERANA,

ADV DOCTORIS

ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
E IMMVNITATIBVS

OLEMNITER ADIPISCENDIS,

IATRORVM DISQVISITIONI
SUBMITTIT

PHVS DEHN,

ERFORDIENSIS.

MAJORI COLLEGII MAJORIS,
RIS CONSVETIS,

MAJI, A. S. R. MDCCXLII.

Cypis HERINGII, Acad, Typogr,

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Centimetres

inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13